DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE SCARLATINA ANGINOSA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris.

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES THOMSON,

ORIENTALIS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Ad Calend. Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

Excudebat Jacobus Neill.

MDCCCXIX.

AVUNCULO SUO OPTIMO,

ATQUE DILECTISSIMO,

JOANNI THOMSON,

ARMIGERO,

OMNIBUS, QUÆ HOMINEM ORNANT,

VIRTUTIBUS PRÆDITO ;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

OB PATERNAS CURAS,

ET

MULTA BENEFICIA,

IN EUM COLLATA,

ANIMI GRATISSIMI PIGNUS EXIGUUM,

SACRUM ESSE

VULT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

SCARLATINA ANGINOSA.

JOANNE THOMSON Auctore.

QUONIAM almæ hujusce Academiæ leges, ab unoquoque Doctoratus Gradum ambiente, dissertationem ad rem medicam pertinentem, uti scientiæ specimen quoddam, requirunt; nullus morbus mihi visus est dignior investigatione, quam Scarlatina Anginosa; de qua igitur pauca exorare decrevi.

HISTORIA MORBI.

Scarlatina Anginosa, ex tempore quo primum apparuit, habita est digna attentione medicorum, propter symptomata gravia, quibus sæpius stipatur, et propter rapidum decursum, quo festinat ad mortem identidem. Antiqui non videntur hunc morbum cognovisse, quoniam nihil tradiderunt de hoc in eorum scriptis. Mentio ejus prima occurrit, in Hispania, ubi, ineunte seculo decimo sexto, orta, et cum summa malignitate, grassata est; inde, per totum id ævum, diversis temporibus recruduit, atque varias Europæ plagas perlustravit; et, a medicis Hispanicis et Italicis, primum descripta fuit. Febris eruptiva, angina stipata, quæ infestavit Britanniam, anno millesimo sexingentesimo octogesimo nono, descripta fuit a Morton, sub nomine falso morbillorum, tamen, vix disputandum est, morbum fuisse eundem, ac quem descripturus sum. Ex hoc tempore, de ea scriptores silent, usque ad trigesimum postremi seculi annum primamque ejus historiam accura-

tum, prout anno millesimo septingentesimo trigesimo nono, tradidit clarus medicus FOTHERGILL. Longe ante, SYDENHAM descripserat febriculam, cum efflorescentia rubra, cui nomen scarlatinam imposuit; verum, de ejus natura nil certi habens, prætereuntem esse, judico, in silentio. Fere omnibus medicis creditum est, scarlatinam simplicem, scarlatinam anginosam, et anginam malignam, varietates seu modificationes ejusdem esse morbi, et eadem contagione peculiari oiri.

MORBI NOTÆ.

INTER signa prima, enumerantur, languor et lassitudo, molestia per totum corpus; algor; pallor et dejectio vultus; dolor extremitatum, lumborum, capitis, anorexia, nausea et vomitus; atque summa debilitas.

Sensus rigiditatis, juxta musculos maxillæ et colli, plerumque ab initio adest; et citissime circiter diem secundum, guttur angustum, vox rauca, et tussis clangosa, sentiuntur. Faucibus internis inspectis, tonsillæ, velum pendulum

palati, et uvula, repertæ sunt haud parum tumidæ; et, una cum omnibus partibus vicinis, vividi, læti coloris coccinei sunt.

Lingua est particeps ejusdem coloris; nisi in media ejus parte, ubi potissimum est alba; et adeo dissimilis reliquis suis partibus, ut ex hoc solum, morbus distingui potest. Lingua interdum fusca, et arida crusta obducta est; admodum ore et faucibus internis adustis.

Circa tertium vel quartum diem, maculæ coloris cinerei, tonsillam, velum, et uvulam, distinguentes; autem sæpius in angulo inter uvulam et palatum delitescentes, conspiciuntur; nonnunquam etiam œsophagum, tracheam, naresque occupant.

Fere eodem tempore, efflorescentia vividi colori coccinei quæ prodiderat sese qua cutis fuit tenerrima, universam corporis superficiem obsedit; quæ tamen ad extremitates semper erat coloris magis fusci. Hicce color, cute digito pressa, evanescit; et pressura remota, statim viget, ut evenit in erysipelati. Periculum, aut salus ægri non videtur, a rubedine, pendere: tametsi guttur, iis ægris quibus maxime insignis est, sæpe minus læditur. Etiam notatu dignum

est, quod morbus, ab hac re, nomen sibi adeptus est.

Tempus eruptionis variat; interdum rubedo cutis, post paucas horas, patet eruptionem, autem sæpius die tertio; tametsi aliquando observata fuit secundo: quo citius tamen supervenit, eo pejor futurus est morbus. Plerumque eruptio durat circiter dies tres, quanquam tempus valde fluctuat, sed continuatio quatuor vel quinque dierum potius insolita est.

In hoc morbo, ægri plurimum oppressi videntur; et vultus rubicundus, oculi suffusi, fuere; et insigni stupore comitari. Calor cutis maximus interdum est; quidem major quam in ullo alio morbo; inventus fuit, ad gradum centesimum quintum, aut centesimum septimum mensuræ FAHRENHEITIANÆ, et etiam ad 112°, ascendere.

Per decursum totum morbi, pulsus celer et debilis fere est; autem interdum, sub initio, validus et plenus. Urina interdum tam arcte redditur, ut necesse sit eam arte subtrahere. Sæpe naturalis est, autem sæpius adeo variat, ut nihil utilitatis inspicienti conferat. E naribus et faucibus interdum profluit acer humor, qui

partes, qua iter est, multum erodit. In infantibus, diarrhœa nonnunquam adoritur primo impetu morbi, quæ maxime eos vexat, ad ejus terminationem ; sæpius autem in adulta ætate, alvus adstringitur.

Tumores glandularum maxillarum non raro occurrunt ; et quamvis, in plerisque exemplis, febre decedente, detumescunt ; tamen subinde in suppurationem observati sunt desinere. Aliquando, postquam omnia symptomata evanuerunt, glandularum parotidarum tumores, levem febrem reducentes, orti sunt.

Omnia symptomata, adventu noctis, ingravescunt ; quam, si æger sit juvenis, plerumque degit inquietus, neque delirii immunis, quod, tamen, cæterorum symptomatum vehementia minime indicat. Perstant hæc symptomata, plerumque 6, 7ve dies, vel etiam diutius ; sudor paulatim erumpens in summo corpore, exitum felicem indicat ; calor magis temperatus, efflorescentia fit pallidior, vel fusca ; cuticula in squamulas abit, modo parvas modo magnas. Maculæ circa fauces evanescunt ; et pulsus redit ad pristinam velocitatem et mollitiem ; et, in multis exemplis, mirum in modum subito de-

scendit ad normam justam, vel etiam infra eam. Appetentia cibi redit, tranquillus evadit somnus; et tandem æger convalescit.

In forma magis maligna scarlatinæ anginosæ, symptomata prægressa magis vehementia sunt; ab initio, summa debilitas; vertigo et proclivitas ad animi deliquium, quum æger erectus sedere conaretur. Respiratio concitata et laboriosa; efflorescentia coloris coccinei, non tam vividi, ac aliter, potius inter purpureum et nigrum medii; maculæ circa fauces coloris fusci vel nigricantis; etiam una cum non parvo tumore partium externarum; et pulsus parvus, debilis, atque celerrimus, interdum non numerandus, et admodum abnormis, adsunt.

Haud raro alias varietates agnoscit morbus, quibus, cutis neque calida, neque arida est, sudore autem viscido obtegitur. Diarrhœa etiam, qua conspiciuntur dejectiones nigræ fœtidissimæ, plerumque adest. Ægri, hoc modo laborantes, afficiuntur stupore, fæces et urina inscie redduntur; anhelitus fœtet, corpus cadaver olet, et vita, demum exhausta, fato quiescit. Notatu dignum videtur, morbum cum angina conjunctum, sed absque eruptione; et vice versa, exis-

tere posse; exempla occurrerunt, quæ nullæ aliæ notæ insigniebant, nisi faucium rubedo, cutis calor pungens; et quamvis fuisset nulla eruptio, cuticula secedens, inque squamas abiens.

DIAGNOSIS.

Scarlatina Anginosa confundi potest cum quatuor morbis: viz. Cynanche Tonsillaris, Cynanche Maligna, Morbilli, et Erysipelas.

Ad initium, est similitudo inter Scarlatinam Anginosam, et Cynanchen Tonsillarem; quoniam in utroque rubent tumentque fauces; sed postea, illa vix habet crustas albidas, ulcera tegentes. Non comitatur eruptione cutis; a frigore præcipue oritur; et febrem mitiorem ostendit.

Diagnosis, inter scarlatinam anginosam et Cynanchen malignam, tantum factu necessaria est; quia differt tractatus. Cynanche Maligna, cum signis febris typhoidis, stipatur; deglutitio non tam difficilis est; sed in gutture crustæ albæ adsunt, infra quas, jacent fœda et serpen-

tia ulcera. In morbillis, palpebræ tument et rubent; oculi lachrymant; naresque humorem acrem effundunt; et alia symptomata catarrhi adsunt, cutis scabra sentitur, papulæque non tantum elevatæ sunt, sed corymbosæ: in scarlatina, rubedo cutis plerumque diffusior est, et desquammatio perfectior, signis catarrhi absentibus.

Ante eruptionem, scarlatina anginosa simillima est erysipelati; sed postea diagnosis satis distincta est. In erysipelate, rubedo cutis arctior est, plerumque afficit faciem, collum, pectusve; autem rarissime in gutture. Omnes aliæ partes rubedine carent; præterea, stupore vel veterno, accessus erysipelatis sæpe primo indicatur.

Haud parvi momenti est, ad scarlatinam anginosam recte discernendam, in mentem habere naturam morbi epidemici, eodem tempore maxime grassantis; et anne contagio expositus fuit ægrotans, reperire.

CAUSÆ.

Omnia, quæ corpus debilitant, aut vires frangunt; viz. diæta tenuis, et parca; affectus mentis deprimentes; immundities; vita sedentaria; potatio immodica; valetudo adversa; inter causas prædisponentes, recensendæ sunt. Ætas juvenilis quoque, magis huic morbo proclivis, videtur homines efficere; hinc, quam adulti, ei magis patent infantes. Porro fœminæ, quam mares, ei magis sunt obnoxiæ; quod, ex magna parte hinc pendere verisimile videtur, quia sæpius contagionis actioni expositæ sunt, dum operam suam infantibus administrabant, in hoc morbo laborantibus, etiam quia illis, quam his, constitutio magis relaxata et irritabilis est. Notatu dignum est, eos, qui admodum infantiles sunt, præcipue dum mammas petunt, hoc morbo rarissime corrumpi.

Adhuc in dubio manet, quatenus anni tempestas, cœli temperies, aut situs, proclivitatem, ad contagium recipiendum, dant; vel quantum, in eo gignendo et propagando, valeant. Satis

constat, morbum multum variari, e tempestate, situ, et temperie, quoniam, in æstate et autumno, indicia scarlatinæ simplicis vel anginososæ plerumque prævalent; sed, in hyeme et vere prima, plurimum cynanches malignæ. Hæc insuper occurrere in locis depressis et humidis, aut soli et vento minime expositis.

An bis per vitæ decursum, scarlatina aliquem afficiat, inter medicos, multum disputatur. Alii contendunt, se vidisse idem corpus semel iterumque hoc morbo laborare; contendunt alii, id fieri non potest. Ex his diversis sententiis, concludere fas est rem saltem rarissimum evenire.

Fere omnes auctores consentiunt, causam hujus morbi excitantem esse, in contagio peculiari, vel materie contagiosa corpore simili modo affecto effluente. Alii credunt contagium febrile in ventriculum receptum fuisse, unà cum saliva, et nervos hujusce visceris primum afficere: alii, et fortasse opinio verisimilior est, contagium pulmonibus inspirari, et corrumpere sanguinem, per eas transeuntem, quasi vitæ fontem ipsum. Quousque virus constitutioni lateat, priusquam morbus incipiat, vix constat; quamvis quinque dierum

spatium interdum videretur. Observatur limites, ultra quos scarlatinæ contagium innocuum fit, arctissimos esse; et haud tres quatuorve passus transire, e corpore contagioso.

PROGNOSIS.

Hæc multum pendet, a faucium conditione, et symptomatum vehementia. Respiratio concitata et laboriosa; colli insignis tumor; maculæ magnæ fuscæ vel subnigræ; et spiritus fœtidus; symptomata maxime infausta, sunt habenda. Etiam, quum oculorum nitor prorsus abolitus sit; pulsus celerrimus, parvus, debilis, et abnormis; delirium, leve mussitans; vel idem vehementissimum; et si eodem tempore coma; sudor viscidus et gelidus in summo corpore, adsint; et ægri parum afficiantur fæcum et urinæ stimulo.

Si sit æger corporis constitutionis firmæ; si febris remittat, rubore adhuc ineunte; et postea magis magisque decrescat, dum interea rubor sese extendit et recedit, modo solito; et si antea late diffundatur, constans, biduum triduum-

ve permanens; et faciem artusque, potius quam truncum, occupans; faustam prognosin prædicere licet. Inter indicia benigna enumerare licet, sudorem modicum et generalem, sine artes auxilio erumpentem, et postea minime interruptum fluentem; tumores doloremque faucium gutturisque minuentes, et pulsum, ad naturalem mollitiem et velocitatem, redientem. Quum maculæ in faucibus raræ sint; citoque decedant; et partes subjectæ faciem benignam exhibeant; eventus felix expectandus sit.

CURATIO.

In hoc morbo tractando, duo consilia medico sese offerunt:

Primum, Progressum intercipere; catenationem morbidam præveniendo.

Secundum, Impetum temperare, symptomata leniendo; et debilitati occurrere.

Ad primum consilium, duo remedia magnopere laudantur, et eorum utilitatem experientia satis comprobavit.

Emetica. Tartras antimonii, vel pulvis ipecacuanhæ, anteferenda sunt; quippe quæ cito et tuto vomitionem plenam cient, ac insuper systema commovent, ad morbum discutiendum. Quando nausea ingens ægrum premit, nunquam omitti debent; namque ventriculo quovis sordium genere hanc gignente liberato, causa multæ irritationis febrilis aufertur.

Aqua Frigida. Hocce remedium simplex, sed potentissimum, ad morbum sistendum, idonea satis laude affici non potest. In curatione scarlatinæ anginosæ, primo adhibitum fuit a Dr Gerard, eventu felicissimo, in duobus exemplis; et postea frequenter usurpatum fuit, simili successu, a Dr Currie: et, in altero casu, morbi progressus, duabus lavationibus, in altero, tantum una, interceptus fuit. Quando quidem calor corporis, monstrante thermometro, sit stabilis, et naturali major; nullusque sensus frigoris ægrotanti adsit; atque nondum sudor eruperit; et febris multum exacerbatur ad vesperam, tunc affusio frigida maxime tempestiva erit, et adhibeatur cum magno fructu.

Aqua frigida subito et ex alto perfundatur; quo facto, et ægro siccato et in lecto collocato, pulsus arteriarum minus fiunt frequentes; calor minuitur; et somnus levis plerumque subsequitur; et primis hujus febris diebus, sola affusionis applicatio sæpius iterata, nullo alio remedio applicato, scarlatinam semper fere fugat.

Verum si, progrediente morbo, calor minus intensus fiat, dum anxietas, debilitas, et alia signa febrilia, crescant, aquæ tepidæ affusio, vel ejusdem lavatio, magis consentanea videtur. Etiam utilis est, quando vehemens delirium adest; aut eruptio ad retrocedendum proclivis videtur; tunc diversæ corporis partes ægri laventur, vel ille, tenus mento, in balneum tepidum aquæ, immergatur.

Lavatio talis, non tantum processui refrigeranti faveat, calore superficiei exsuperante; sed etiam desquammationem cuticulæ adjuvet, morbo haud parum profecto.

Post lavationem tepidam, corpus panno laneo leviter fricetur, et hæc frictio corpus exsiccabit, desquammationemque adjuvabit, quæ, cum perfectior fuerit, hydropen præcavere existimatur, qui hunc morbum sæpissime sequitur.

Remedia, quæ nunc recensenda sunt, consilium secundum postulat.

Detractio Sanguinis. Hoc remedium idoneum est, in morbi casibus, ubi faucium magna inflammatio, vasorum valida actio, et æger admodum plethoricus, vena sectionem indicare videantur.

Epispastica. Ad collum faucesque, vel ad pectus, quando adest spirandi difficultas, una cum dolore alicubi thoracis, non mediocriter prosunt. Vero quoniam dicitur sæpe accelerare vel aggravare delirium, forsan, in quibusdam exemplis, eá hirudinibus permutare licet.

Cathartica. Si alvus tardus, vel diarrhœa adsit, quam, ab aliqua causa irritante in canali alimentario, oriri probabile videtur; laxantia mitissima administranda; alvusque postea, eorum usu vel enematum emollientium, laxa servanda; tamen in morbo, ubi jam existit ad diarrhœam propensio, hujusmodi remediorum liber usus non necessarius est.

Diaphoretica. Si sudor, sua sponte eruperit, criticus vel saltem propitius habeatur, et foveatur per diaphoretica et diluentia ; sed aliter, de eorum usu, inter se omnino discrepant medici, atque, ex eorum diversis sententiis, nihil utilitatis potest diduci.

Gargarismata in hoc morbo maxime valent, sordes abstergunt, et affectionem gutturis levant. Siquando gargarismatibus uti nequeant, ob ætatem infantilem, aliamve causam ; tunc ea idoneum videtur, per syringem, injici : notandum est vero, infantes gargarismata sordesque simul absorbere. Usitatissima sunt, vini rubri Lusitanici, vel aceti cum aqua mista ; infusionis rosarum Gallicarum, vel decocti cinchonæ officinalis, quibus addi potest pauxillum acidi sulphurici ; et decocti hordei distichi acido muriatico acidulati.

Medicamenta Astringentia et Opiata, usurpanda sunt, ad diarrhœam cohibendam. Sitis semper submoveatur potu frigido acidulato, qui est diluens, gratissimus, et, ullo morbi tempore, utiliter detur ; etiam fructibus succo plenis et

subacidis. Ad somnum conciliendum, et irritationem tollendam, haustus anodynus sumatur.

Vinum. In scarlatina anginosa, ad vires sustentendas plerumque sufficiet vinum, aqua admistum; diaphoresin promovendo multum commodi affert. In diathesi philogistica hoc remedium caute adhibeatur.

Cortex Cinchonæ. Exhibenda, toties tantisque dosibus, quantas severitas morbi requirere videatur. Sæpe difficillimum est infantibus persuadere, corticem quodammodo præparatum ingerere; vel faucium affectio adeo severa est, ut æger eam sorbere nequeat: in talibus exemplis, decotum ejus, in forma enematis, adhibendum sit.

DE REGIMINE ET DIÆTA.

Quandoquidem intenditur calor febrilis, vel supra gradum centesimum thermometri Fahrenheitiani permanet, aër frigidus admittendus est liberrime; apertus et purus semper prodierit.

Si, febre nondum discutiente, æger cibum appeterit; gelatina ex materie animale, vel vegetabile; aut juscula tenuia, haud denegenda sunt. Pro potu communi, aquam puram habeat; vel in qua panis tostus maceratus fuit; et acidulati. Vero quum morbus discesserit, diæta quæ sit facilis concoctu, doteque nutriente, jubeatur, ad vires reficiendas. Æger quoque leniter sese exerceat, atque paulatim redeat ad consuetudines solitas.

DE SEQUELIS.

Auctores varios affectus morbosos, utpote consecutiones scarlatinæ, tradidere; scilicet, ophthalmia, phrenesis, dolores rheumatismo similes, glandularum submaxillarum et parotidarum tumores et suppurationes; denique anasarca.

Anasarca, quæ sæpissime huic morbo succedit, raro periculo stipatur; autem interdum fertur, una cum œdemate generale, cerebrum hydrope afficere, unde proveniunt omnia symptomata hydrocephali; vero alias, signa hydrotho-

racis exoriuntur, propter aquam alicubi thoracis accumulatam.

Aqua suffusa, sine artis auxilio, sæpe absorbetur, si vero medicamentis opus esse judicetur, ad Catharica et Diuretica usitata confugiendum est: atque ea meliora sunt, quæ vires jamdudum deficientes minus exhauriunt, et eodem tempore vires, tonicis et diæta lauta, restituendæ sunt.

FINIS.